Rudolfus dei gratia Romanorum Rex semper augustus. Universis Imperii Romani fidelibus presentes litteras inspecturis Inperpetuum. In excellenti specula Regie maiestatis ordinatione divina feliciter constituti ad prospiciendum utilitati fidelium nostrorum in posterum perspicacitatis oculorum longe lateque diffundimus, ut eorum frequenter hucusque turbata tranquillitatis pulsa preterite calamitatis umbrosa caligine sub nostri dominii novitate refloreat claritatis perpetue iubare serenata. Noverit igitur presens etas et successiva posteritas quod Nos pure fidei zelum fideique puritatis affectum que dilecti fideles nostri Cives in Rotenburg ad nos et Imperium Romanum habere noscuntur benigni intuentes pensantes etiam tam fructuosa quam placida que per eos hactenus Nobis et eidem Imperio sunt impensa servicia et adhuc impendi poterunt gratiora eisdem ex Regali liberalitate concedimus hac presenti sancientes edicto quod omnes quos dicte civitatis inhabitatores esse contingit nostra et Imperii tuitione perpetua gaudeant et patrocinio speciali. Siquis autem adversus aliquem Civem Civitatis eiusdem aliquam questionem aut actionem habuerit, eum conveniat coram iudice civitatis quod sibi per sententiam adiudicatum extiterit accepturus, ita quod ad alienum fori iudicium non trahatur. Insuper de iudicio terre quod Centa vulgariter nuncupatur statuimus et volumus quod secundum antiquam et approbatam consuetudinem hactenus observatam in suis sit robore et vigore decetero teneatur. Attendentes etiam hiis premissis quod si quis de civitate predicta proscribi contigerit, sua debeat Regie vel Imperatorie Curie denunciari proscriptio ut registri memorialibus inscribatur, non restituendus Regalis aut Imperatorie beneficio largitatis nisi absolutus in loco ubi primum est proscriptus. Volumus etiam quod universi et singuli dicte civitatis Cives et incole qui exactiones sive precarias Imperatoribus et Regibus inclitis nostris predecessoribus consueverunt exsolvere iuxta morem antiquum et solitum hactenus eas annuatim solvere teneantur. Preterea domus lapidea Sculteti de Rotenburg sicut hactenus fuit expers contributionis predicte sic deinceps eadem gaudeat libertate. Nullus etiam extraneus aliquem de predicti loci Civibus quacunque de causa provocare valeat vel audeat ad duellum. Predictis insuper adicimus ut omnes ad nundinas predicti oppidi suis distinctas temporibus ter in anno venire volentes in eundo et redeundo ad unum miliare sub pleno sint securitatis et pacis nostre et Imperii sacri conductu. Volumus nichilominus ut pascua et vie eorum secundum antiquos terminos sine contradictione qualibet permaneant. Nulli ergo omnino hominum hanc nostre concessionis paginam liceat infringere vel eidem in aliquo ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, gravem nostre indignationis offensam se noverit incursurum. In cuius rei testimonium et perpetui roboris firmamentum presens scriptum exinde conscribi et Maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Datum Hagenowe Idus Maii Indictione secunda Anno domini Millesimo CC Septuagesimo Quarto Regni vero nostri Anno primo.